INCIPIT HISTORIA DARETIS FRIGII DE EXCIDIO TROIE.

Cornelius nepos salustio crispo suo salutem. Cum multa athenis curiose agerem. inveni hystoriam daretis frigii ipsius manu scriptam. ut titulum indicat. quam de grecis et troianis memorie mandavit. Quam ego summo amore complexus. continuo transtuli. Cui nichil adiciendum. vel diminuendum rei reformande causa putavi. Alioquin mea posset videri. Optimum ergo duxi ita ut vere et simpliciter perscripta. Sic eam ad verbum transvertere. ut legentes cognoscere possint. quomodo res geste essent. utrum magis verum esse existiment. quod dares frigius memorie commendavit. qui per id tempus vixit et militavit. dum greci troianos expugnarent. an homero credendum qui post multos annos natus est. postquam bellum hoc gestum fuisset. De qua re athenis iudicium fuit. cum homerus pro insano haberetur. quod deos cum hominibus bella gessisse describeret. Sed hactenus ista. nunc ad pollicendum revertamur. Pelias rex in peloponenso esonem fratrem habuit. esonis filius erat iason virtute prestans. et qui sub eius regno erant omnes eos hospites habuit. et ab eis validissime amatus est. Pelias rex ut vidit iasonem acceptum esse omnibus hominibus. veritus est ne sibi iniurias faceret et se regno expelleret. dicit iasoni colchis pellem inauratam esse arietis. dignam eius virtute ut eam inde auferret. omnia se ei daturum pollicetur. Iason ubi audivit. ut erat animi fortissimus.

Et qui loca omnia nosse volebat. atque clariorem se existimabat futurum si pellem inauratam colchis abstulisset. dicit pelie regi se velle eo ire. Pelias rex argum architectum vocari iussit. et ei imperat. ut navem edificaret. quam pulcherrimam ad voluntatem iasonis. Per totam greciam rumor cucurrit navem edificari in qua colchos eat iason pellem auream petitum. Amici et hospites ad iasonem venerunt et pollicentur se una ituros. Iason illis gratias egit et rogavit ut parati essent quando tempus supervenisset. Tempore autem opportuno iason litteras misit ad eos qui erant polliciti sese una ituros. Et illi continuo convenerunt ad navem. cui nomen erat argo. Pelias rex que opus fuerant navi iussit imponi. Et hortatur iasonem et qui cum eo ibant ut animo forti irent ad perficiendum quod conati sunt.

Ea res claritatem grecis ipsis facturam videbatur. Demonstrare autem eos qui cum iasone profecti sunt non videtur nostrum esse. Sed qui volunt eos cognoscere argonautas legant. Iason ubi ad frigiam venit. navem admovit ad portum symoentum. Deinde omnes de navi exierunt ad terram. Laomedonti regi nuntiatum est. mirandam navem portum symoentum intrasse. et in ea multos iuvenes de grecia advectos esse. Ubi audivit laomedon rex commotus est. et consideravit commune periculum esse si consuescerent greci ad sua litora navibus adventare. Itaque mittit ad portum qui dicant ut greci de finibus suis decedant. Si vero dicto non obedissent. se sese armis eos de finibus eiecturum. Iason et qui cum eo venerant graviter tulerunt crudelitatem laomedontis. sic se ab eo tractari. cum nulla ab illis facta esset iniuria a laomedonte. Simul timebant multitudinem barbarorum. si contra imperium contenderent permanere. ne opprimerentur cum non essent parati ad proeliandum. Navem conscenderunt. a terra recesserunt. Colchos profecti sunt. Hercules graviter tulit a rege laomedonte contumeliose se tractatum. et eos qui una profecti erant colchos. Cum iasone spartam insulam ad castorem et pollucem venit. cum his egit ut suas iniurias defenderent. ne laomedon impune ferret. quod illos a terra et portu prohibuisset. Multos adiutores futuros si se accommodassent. Castor et pollux omnia promiserunt que hercules vellet. Ab his salaminam profectus ad telamonem venit.

Rogat eum ut secum ad troiam veniat. ut suas et suorum iniurias defenderet. Telamon promisit omnibus rebus se paratum esse. que hercules facere vellet. Inde ad phthiam profectus est ad peleum. rogatque eum ut secum veniat ad troiam. Pollicitus est ei se iturum. Inde pilum ad nestorem profectus est. rogat eum quid venisset. hercules dicit quod dolore commotus sit. velle se exercitum in frigiam ducere.

Nestor herculem laudavit. operamque suam ei pollicitus est. Hercules ubi omnium voluntatem intellexit. naves. xv. paravit. milites elegit. ubi datum est tempus proficiscendi litteras ad eos qui rogaverat ut venirent misit. Cum convenissent omnes. profecti sunt in frigiam. ad sigeum portum noctu accesserunt. Inde hercules et telamon. peleusque exercitum eduxerunt de navibus.

In presidio esse castorem et pollucem et nestorem reliquerunt. Laomedonti regi nuntiatum est classem grecorum ad sigeum portum accessisse. Laomedon cum equestri copia ad mare venit. et cepit proeliari. Hercules ad ilium ierat et imprudentes qui erant in urbe oppugnare cepit.